

Q. D. B. V. 1655
DISSE^TAT^O JURIDICO - POLITICA.
DE.

1049
用

88

MAJESTATE EJUSQUE JURIBUS

Quam

Autoritate & Permissu Magnifici JCtorum Ordinis
in illustri Leucorea
SUB PRÆSIDEO
Viri Nobilissimi, Consultissimi & Excellentissimi
DN. GOTTFRIDI SVEVI.
J.U.D. & Codicis P.P. celeberrimi, Curiæ Electoralis,
Facultatis Juridicæ, ut & Scabinatus Assessoris gravissimi,
Præceptoris ac Patroni sui omni honoris & observan-
tiæ debitæ cultu ætatem deve-
nerandi.

Publicè proponit

GEORGIUS BRASCHE.

Lutkenbergò - Holsatus.


In Auditorio JCtorum.

Ad diem Maij. Ao. M. DC'L.V.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typograph.

Mor. Wiesenu





I. N. J.

THES. I.

MAjestas (^a) nostrás (^b) est summa (^c) in res & perlonas imperio Romano - Germanico subjectas (^d) competens potestas. (^e)

(a) Cum ex etymologiâ atq; proprietate nominum vis ac substantia rei investigari soleat, ante omnia rei alicui operam daturum nosse oportet, unde nomen ejus descendat l. i. ff. de J. & J. Sunt enim rerum notæ, per quas certi reddamur, ne falsa pro veris admittamus, ut inquit Nobiliss. ac Consultiss. Armaurus, in comm. de mōra c. i. Unde consecularium est, eos, qui his spretis ad rei cognitionem festinant, temporis naufragium pati & opera, cum ē contrario, qui eorum genio ad perpendicularum examinato procedunt, & cito & felicius in rei ferantur perceptionem, censeante magno illo Scaligero, imō natura ipsa nobis hoc dictitat, quippe quæ ab elementis semper & simplicibus incipit, & deinceps ad altiora progreditur. Quo factum ut Philosophicum Jctis dixerint: Rerum quidem potiorem, verborum tamen priorem rationem esse habendam, magnam enim in perscrutandis & investigandis vocabulorum ductibus locarunt operam & ad plerosq; juris laqueos enodandos usi sunt vocum ratione & origine ut ex §. 3. Inst. de Jur. Pers. §. 2. Inst. de Tūt. prīne. Inst. de publ. Jud. l. i. ff. de J. & J. l. 5 ff. de pecul. l. 2 ff. de spons. l. 1. §. 1. ff. de rūter. l. 1 ff. de donat. & pluribus alijs textibus videre est. Dicta autem est Majestas, ut volunt Politici cum Jctis, à Magnitudine, ex eod em fonte, quo magnus, magis, majus, Magistratus. Paurmeijſt. de Jurisdict. lib. 1. cap. 3. ut ita Majestas dicatur quasi major status, h.e. omnibus alijs imperijs ac potestatibus, dignitatibus quoq; & honoribus jus & fastigium quoddam superius, quo post Deum immortalem nihil in Reipub. statu haberi

aut excogitari majus nihil excelsius posuit, Kirchner. de Repub. D. 2. s. b. 2. lit. a. Derivationis hujus author tanquam primus fuit Harpocrate. ad. §. publica autem judicia n. 2. Instit. de publ. Jud. imitatus Festum, qui eam simpliciter à magnitudine dictam putat. quo etiam respiciens Cicero, eam describit: Magnitudinem populi Romani in ejus potestate ac jure retinendo. in partition. Orat. lit. A. 426. Varijs alijs Majestas hæc indigitatur vocabulis referente Carpzovio de Leg. Reg. cap. 13. Sect. 1. m. 3. quandoq; vocatur potestas regia in l. 2. §. 118. de orig. Jur. vel manus regia, prout manus significat potestatem in l. 4. ff. de J. & J. quandoq; Majestas Imperialis, Principalis autoritas l. 50. in fin. ff. de petit. hered. Summum rerum arbitrium, superioritas, supremitas, aboluta potestas. In sacris à Jacobo Patriarcha Sceptrum appellatur. Genes. 49. v. 10 Graci illam vocant ἀναγένεσιαν, interdum νομίαν αἰχνήν, νόμου πολιτείαν. Vulgo interpretibus juris est imperium maximum sive summum. Dd. ad l. 3. ff. de juridicit. Ne vero incurramus in reprehensionem cum Bodino, qui dicitur Majestatem definiisse non distincta prius nominis equivocatione, dicimus vocabulum Majestatis diverso usurpari sensu: significat enim interdum amplitudinem & autoritatem Dei. l. 32. §. sacerdotiorum de arbitr. vel Principis, populi aut Magistratus l. per ff. de J. & J. tot. tit. ff. & C. ad leg. Jul. Maj. De divitium autoritate. Juvenal. Satyr. 1. Sanctissima divitium Majestas. Idem Satyr. 3. de Dierum festorum reverentia; ipsa dierum festorum herboſo colitur, si quando Theatro Majestas, interdum Principem ipsum in l. 23. ff. de Legat. Arnlaus de Jur. Majest. cap. 1. inquit: duo designare nomen Majestatis, tam apud latinè loquentes, quam ex communi sermonis usu: Potestatem nimirum summam & summum honorem, illa Majestatis ratio formalis est: Hic adiunctum ejus accidentale. Prior acceptio hic tantum attenditur: posterior non curatur. Neq; enim in honore, sed in plenitudine potestatis Majestas consistit.

(b) Lustrare cuiusq; Politias Majestatem ac jura nec vacat in praesenti, nec deinceps facilè sustinebimus. Ingens est Rerum publ. discrimen, magna potestatum varietas. Has expōnere velle ac gentium recludere arcana, est Oceanum evacu-

are

are vel Astrorum metiri numeros. In Deum hæc cadit perfe-
ctio, ad quam aspirare fructu sperant mortales. Germanicæ
autem Patriæ dulcissimæ Majestatem pensiculare nec pidgebit,
& pietatis munus est. Hanc vero dum adserere in statuimus, ne-
quaquam alijs regnis Majestatem negamus. Neq; enim cum
Dn. Remkingio facere possumus, qui lib. 2 de Reg. secul. & Eccles.
class. 3. cap. II. num. 9. & seqq. in eo tatus est, ut ostendat; Majesta-
tem propriè & strictè loquendo soli Imperatori competere, ana-
logicè vero & ad imitatioē Cæsaris alijs etiam Regibus, populis
& civitatibus, neminem, præter Deum sive de facto sive de jure
recognoscensibus attribui posse. Quod si verum, spontè se-
quitur nullam, præter Cæsaris esse potestatem propriè sic dictam,
cum Majestas, ut infra ostendemus, formaliter in potestate con-
sistat. Si autem propria non est E. impropria erit; quod incon-
veniens esse ipse autor agnoscit, quando inter rō propriè, im-
propriè & non propriè distinguit. Putat enim inter rō pro-
priè & non propriè tertium dari, quod non impropriè vocat.
Verum si aliud pharmacon non invenerit quod causæ suæ ap-
plicet, vix illa convalesceret. Certi namq; sumus inter contra-
dictoriè opposita ne fieri quidem posse medium. At rō propriè
& non propriè sive impropriè contradictoriè opponi quotus-
quisq; inficiabitur? Argumentor: Majestas sive potestas non
impropriè sic dicta aut propria est aut impropriæ scil. non pro-
pria, tertium hic non datur. Atqui per Te propria non est.
Impropriæ igitur erit, quod falsum est. Nam non impropriè
sed propriissimè exteris populis Majestatem competere pro-
lixe ostendunt Viri Clarissimi Dn. Carpzov. de Leg. Reginâ cap. 13.
Dominus Arniseus de Jurib. Majest. lib. 1. cap. 2. Besold. in dissert. de
Majest. cap. 2. & alij. quid? quod ipse Remking fatetur, exteris
Reges ratione hæreditaria successione plus juris nonnunquam
habere atq; Imperatorem nostrum vid ipsum c.l.n.19. & Schrad.
de Feud. part. 4.c.1. n. 45.

(c) Majestatem formaliter in summâ potestate consiste-
re eleganter demonstrat acutissimus Arnisaus c.l.c.3.n.1. & seqq.
Majestas, inquit, cum primis in Reipub. regimine conspicitur.
Atq; Respublica ordo est secundum Aristotel. lib. 3. Polit. cap. 6.

in ordine vero cum immo possibile sit abire in infinitum 8. Phys. c.
text. 16. necessariò deveniendum est ad aliquod summum, in
quo subsistamus, quodque supra omnia supra ipsum vero nihil.
Hæc ille. Nos inde inferimus duo postmata. I. Quod Majes-
tas sit indivisibilis. si enim divisibilis esset, distribueretur vel
æqualiter vel inæqualiter. Non æqualiter, quia implicat dari
deas potestates æquæ summas ut enim repugnat dari plura insi-
nita; ita impossibile est ut summa potestas in una eademq; Re-
publicâ pluribus æqualiter distribueretur absq; diminutione su-
perioritatis. Pone enim duas potestates æquales quarum neu-
tra in alterum, sed utraq; separatum in inferiores sibi subjectos
imperium habeat, tum neutra pro summa venditari potest.
summum namq; est, quod supra omnia est, vel ipsa vocis nati-
væ significatione ostendente adeoq; ne parem quidem agnoscit
quia par supra parem sine contradictione esse nequit, nec par,
in parem habet imperium l. ille à quo 13. § tempestive. ff. ad SCum
Trebellian. Neq; inæqualiter Majestas dividi potest, quia hos
modo semper plus juris foret penes unum atq; alterum, ut nul-
lius potestas pro summa reputari posset. Inquieris: si Majestas in
indivisibili posita est, vacillabit Politicorum assertio statuen-
tium majestatem in imperio nostro in duos semiisses esse divi-
sam. Paurmeift. de jurisdict. Imp. Rom. lib 2. cap. 2. num. 18. & seqq.
Dn. Carpzov. de L.R cap. 13. fct. 16. Nec conciliabitur sententia
illorum qui in consortium Majestatis proceres imperij nostri
esse receptos scriptitant. Zirritz. in tractat. de princ. prerogat. &
exeo Carpzov. c.l.m.34. Imò si plane non divideretur Majestas,
quomodo quæso in Aristocratiâ & Democratiâ Majestas poter-
it residere in pluribus? R. I. Assertio Politicorum nostram
sententiam non convellit, si distinguamus inter Majestatem i-
psam & ejus exercitum illa divisionem non admittit, uti jam
fuit ostensum. Diversa autem sunt Majestatis jura, quæ di-
visim à pluribus possunt usurpati & exerceri. Sed conceda-
mus divisibilem esse Majestatem nihil tamen sententia nostræ
deceder, non enim simpliciter negamus omnem summam pot-
estatis divisionem, sed cum hac limitatione, ut salva maneat
Majestatis essentia verba itaq; illa: Majestas est indivisibilis in-
telli-

telligenda sunt in sensu composito non diviso, ut sensus sit; summa potestas dividiri non potest citra sui diminutionem s. destructionem. Pone enim dividi Majestatem, tum non amplius summa erit potestas, sed parem eo ipso, quia divisa est, agnosceret II. Consortium Majestatis ejusdem divisionem non infert. Possunt enim plures de eadem re participare, ut non laedatur ejus integritas sive unitas. Aliud igitur communio est aliud divisione III. Instat Aristocratico & populari Majestas non penes quemlibet in solidum residet; sed omnes imperij participes simul & coniunctim imperant; singuli vero obediunt. *Bodinus libr. 2. de Repub. cap. 6. II.* Quod Majestas Legibus sit soluta probatur (1) Quia Majestas est supra omnia. E. etia supra leges c. 1. d. ff. 4. Lex igitur cum Inferior sit Novell. 105. c. 2. §. fin. Majestati tanquam superiori praescribere nequit. 2. Quia leges omnem vim suam summam potestati ferunt acceptam l. si imperialis 12. C. de Legib. Majestatem igitur non nisi volentem obligare possunt. Quia omnne jus potentius est in causa quam in causato. *Baldus in l. 4. ff. de J. & J. & in l. digna vox C. de ll.* nec plus est in causato quam procedit ab influente potentia causa. Idem *Baldus ad l. 1. ff. de senat.* *Gail. lib. 2. obser. 1. num. 8.* Distinguendum tamen hic (1) inter leges divinas naturales & Civiles. Divinis legibus, imprimis mortalibus tanquam preceptis Majestatem s. Principem haut ullus solvere potest, quia cum illis conferrur non ut Princeps sed ut Christianus. Quod si ergo Eorum legum septa transiliret Princeps divina Majestatis reus foret. Libentib. diffut. 8. Colleg polir. quest. 2. Idem Judicium esto de legibus naturalibus, qua cum immutabiles sint §. penult. *Instit. de J. N.G. & C. l. 2. de usufr. car. rer. qua usu consum. & incorruptibles §. ulti. Instit. de legit. agnat et utell. l. 8 ff. de cap. minut. utiq; Principem constringent, potissimum quod de jure naturali nullum inter mortales disserimen l. 32 ff. de R. J. Pareat ergo Majestas legibus divinis, ut pia sit; Naturalibus, ut bona sit. *B. Meisnerus lib. 4. de legis. seft. 1. quest. 10. §. 1.* Leges civiles quod artinet, quia haec arbitrio Majestatis dependent Principem obligare nesciunt, quod prater rationes allatas luculententer ostendit l. Princeps 31 ff. de LL. Senatus qd consult. (II) Di-*

(H) Distinguendum quoque inter vim legum Coactivam & Deractivam: quoad illam leges imperant facienda cum rigore & mortu poenarum, ut nisi quis obtemperet gravem incurrat animadversionem: & hanc ratione Majestas omnibus legibus subjecta est. Lex enim instrumentaliter duntaxat coercet. Quis vero animadvertisit in illum qui sedens puppi clavum imperij tortus arg. l. 13. §. 4. ad SC. Trebellian. l. 4. de recept. l. 40. §. ult. de fideic. Nov. 23. c. 2. certe poenarum rigor a superiori descendit. At quis Principe seu Majestate superior est? Nemo. Igitur Majestas a coactione libera est. Quoad Hanc leges civiliter invitare Principem ad suu observationem non serviliter cogunt. Confessio Excellentiss. Un. D. Sver. velut. 1. Thes. Instan. 9. XI. Franz. Exercit. 1. quest. 8. Rein king. de Regim. sec & Eccles. lib. 1. clas. 3. c. 12. Ungapauer Exercit. 2. Justin quest. 5. B. Meissn c. 1. Gail. 2. obj. 12. 7 n. 7. Sinold. de Jur. Publ. vol. 1. disput. 3. lib. 12. Arnis. de Jur. Majest. lib. 1. c. 3. num. 6. Carpzov. inciput ut. Cef. cap: 12. sect: 1. & 2.

(d) nihil prater Deum gloriosum infinitum est, nihil immensum. Habet terminos suos amplissimum terrarum orbis: maxima revallisimum littora coactantur: Cælum ipsum, quantumvis spacioissimum magnitudinis suæ agnoscit limites. Igitur & Majestas Imperij Romano Germanici certis circumscripta est cancellis, ultra quos fascium potestatem extendere nequit. l. 52. C. de decurionib. l. 30. §. 1. de ex: usat. tutor. & Curat. Metam vero huic potestati ponunt fines Territorij Romani: Qui et si amplissimi fuerint olim, & maximas mundi partes conscriperint; universum tamen terrarum orbem nunquam tenuerunt. Constat enim innumeritas gentes suo juri esse relictas l. non dubito 7. §. 1. ff. de Captiv. & post. lim. revers. §. si ab hostibus Instit. Quib. mod. jus patr. potest l. 4. C. de commere. Multas amicitiae foedus cum Romanis pepigisse, adeoq; inferiores ijs non extitisse: Multas formidabiles iisdem fuisse, cum quibus pacem fecisse gavisi fuerint, vel inimicicias sine victoriâ aluerint. Paurmeist de Jurisdict. Imper. Rom. lib. 2. cap. 1. n. 21. Terminos igitur cum habeat Territorium Romanum, ultrò sequitur, universale haud esse Imperium nostrum, nec licere cæsaream potestatem in omnes populos extendere. Limitata enim causa limitatum producit effectum.

arg.

arg. l. 22. §. 1 ff. de adopt. Gail lib. 2. obser. 124. n. 9. Nec fas est ultra-territorij metas jus dicere l. fin ff. de Jurisd l. 53. C. de Decurion. Errant igitur Baldus, Bartolus, Mindaus, Schenk. & alij quos magno agmine refert Arnif. de jurib. Majest. lib. 1. cap. 2. n. 2 ad serentes Imperatoriam Majestatem in quamcunq; totius orbis distinctionem diffusam esse, quæ ascendentem & descendenter solem videat, & ex utroq; latere in omnibus Insulis usq; ad Oceanum recessus imperitare. Hoc enim si esset, omnes Reges ac Populi potestate suâ forent exundi, ac Cæsari subjiciendi quod incongruum est, Paurmest. l. c. Non obstat, quod Imperator in jure nostro passim mundi Dominus salutetur l. 9 ff. ad Leg. Khod. dejact. l. 1. C. de jurejurand. propter calumn. dand. Nov. 30. Nam (I.) Testi monia illa ex jure nostro desumpta, cum domesticis sint exteriori haud facile admittent, regessuri, quod in re suâ nec testimonij dicendi l. 10. C. de res. nec judiciandit, tit. C. ne quis in suâ caus. judic. facultatem ulli jura concesserint. (II.) Cum ipse Imperator fateatur, alias etiam, præter Romanum, populos liberos esse d. l. 7. ff. de captiv. & l. 4. C. de summâ Trin. Leges ab adversâ parte citatae Synecdochice de Orbe Romano sunt interpretandæ. Carpzov. de L. R. cap. 7. Sect. 4. n. 30. Sinold volum 1. disput 3. lib. 10. Paurmest. de de jurisdiction. lib. 2. c. 1. n. 21. DN. Reink. de Reg. secul. & Ecccl. lib. 1. claf. 5. cap. 6. num. 12.

(e) Propria le: quam quis suo jure habet; non vicaria, quam alterius concessionis refert acceptam. Vicarij enim, quia mandatam vel delegatam jurisdictionem habent, de Majestate gloriari haut possunt. Carpzov. de L. R. c. 13. sect. 2. n. 12.

THES. II.

Solet Majestas dividi (^a) in Realem (^b) & Personalēm (^c)

(A) Tradunt hanc Majestatis divisionem Viri celeberrimi Dn. Carpzov. de L. R. c. 13. sect. 1 Kirchn. de Repub. dispt. 2. Tb. 3. Beford. lib. 1. polit. c. 2. §. 2. Bornit. de Majest. cap. 1. Jacob. Martinii lib. 2. Polit. C. 20. tb. 3. & 4. Brautlacht lib. 3. Epit. Jurispr. publ. cap. 2. §. 7. Cbrist. Mattb. lib. 3. System polit. Exercit. 2. sect. 1. & alij. A quibus dissentit Cellarius lib. 2. polit. cap. 7. §. 21. qui, non minus contradic-

B

ctio-

ctionem involvere, scribit, qui Majestatem in personalem & res-
alem dividunt, atq; illos qui corpus in materiale, & immateri-
ale, sensitivum in animatum & inanimatum &c. displicerent.
Si enim, inquit Cellarius, Majestas est summa potestas, quæ, præ-
ter Dei immortalis potestatem, superiorem non recognoscit,
ipsum fatentur. Quicunq; personalem Majestatem reali in-
feriorem faciunt, & tamen Majestatem esse volunt, illam sum-
mam & non summam potestatem esse adfirmant, quod contra-
dictionem non potest non implicare. Hæc ille, quæ si æquiori
rationis lance ponderemus fatendum erit, subsistere haud pos-
se Dd: sententiam de Majestate Reali & personali. Etenim Ma-
jestas in absoluta potestate constituit Arnis.lib 1.de jur Majest. c.3.
n.3.4. Populus igitur aut plenariam potestatem in Principe
transfert aut limitatam. Si plenariam, realem quoq; & o-
mnem consequitur ita, ut nulla penes populum remaneat, Non
enim duo summa in unâ eademq; Republica esse possunt, ut
supra ostensum est. Si limitatam de Majestate gloriari nequit
Princeps; quia Majestas est absoluta potestas. Absolutum autem
non est, cur limites, quos transilire non convenit, sunt consti-
tuti. Poterunt tamen Juris interpretes cum Politicis conciliari,
si dicamus illam Majestatis divisionem non in omnem Rempu-
blicam cadere, sed in mixtam duntaxat. Probatur: Quia, si
Simplex Respublica tale discrimen inter Majestatem Realem ac
Personalem agnosceret, licet populus, qui Majestatem realem
haberet, Principe de solio deturbare posset, atq; adversus eum
capellere arma. Sed consequens est falsum vide late differen-
tem Dn.D.Carpzovium de Leg Reg.cap:1 4. scil:1. & 2. Ergo & an-
tecedens. Consequentia ostenditur: Quia Majestas realis supe-
rior est personali. Besold.in discurs. de Majest scil.1.c.1.num.6.Carp-
zov.de capitul. cap:1.n 25. Superior autem licet summovebit in-
feriorem, sed in mixta Republica ac cumprimis in nostrâ Ro-
mano Germanicâ, ubi certis conditionibus potestas in Princi-
pem confertur, ac proceres in consortium Majestatis sint rece-
pti, alia est potestas imperii seu statuum alia Imperatoris, illa
Realis; Hæc Personalis dici consuevit. Statuum tamen & Cæ-
saris potestas non duplarem sed unam numero constituit Maje-
statem,

statem, quæ ob subjectorum diversitatem nunc Imperii s. realis, nunc Imperantis seu personalis à Dd. vocatur. Deinde Majestas dupl. cem sortitur respectum, vel enim ad Rem publicam refertur, tanquam subjectum ad æquatum; vel ad personam, tanquam ad subjectum inadæquatum. In Republicâ initio est populus liber summam habens potestatem. Ipse cum se gubernare non possit, aut magistratum constituit, qui precariò imperet, aut Principem iu quem omnem suam transferat potestatem. Quamdiu penes Principem Majestas est, Personalis vocari potest, quia ossibus ejus inhæretur. Defuncto autem Principe aut stirpe ejus jure gentium ad populum Majestas revertitur, & sic imperi vel regni nomen assumit. Qui duplex tamen respectus Majestatem non duplicat, sed unam eandemq; potestatem, nunc alio acq; alio nomine donat. Hæc si teneamus, & à contradictione liberabimus Dd. & Politicorum rationi aliquid trahemus, ubi alàs conciliationem inter utrosq; vix inveniemus.

(B) Realis Majestas definitur à Sinoldo l.c. lib. 5. Summa Reipublicæ Romanæ eidemq; corva ac sub iuterregnis persistens regimini sui tum constituendu[m] conservandi potestas. Constitutæ in legibus imperij fundamentalibus, quibus Respublica nostra est constituta & cœu fundamento innititura ex consensu communi quo sublatu[m] ipsum Reipublicæ statum convelli necessum est *Danœus lib. 3. Polit. Christian. cap. 6. Ex eo Carpzov. de Capitul. cap. 13. sect. 1.*

(C) Personalem Majestatem non nulli in honore seu gloriæ positam esse existimant. Ast hi iudice Carpzovio umbram pro corpore venditant, Honor, reverentia ac splendor Majestatem consequuntur, non constituantur. Licet & titulorum splendor sine Majestate & hæc vicissim absq; eo esse possit, ut pater exemplo Reguli sacrificuli, qui post Reges ejectos nihil præter nudum nomen, regii habuit; Idem Plutarchus in vita Cleom. refert: Cleomenem, titulum quidem Regis habuisse, potestatem autem omnem mansisse penes Ephorus, & Annales à Patheo editi ad annum 718. Carolum Martellum ajunt, Regem sibi constituisse Lotharium nomine, non potestate. Perspicuum ejus rei præbent testimonium Reges Francorum ultimi ex Merovæi

stirpe, quibus titulus & Veneratio regia integra quidem manebat, sed potestas ad Majores domus transiebat, ad quos summa imperij pertinebat, perinde est, quod Plutarchus scribit de Agesilaoo: eum honestamenta nominis potius, quam insignia potestatis habuisse, cum enim primum in Asiam venisset, nomen quidem & habitum Imperatoris propter leges: Lysandrum vero omnium agendi, summanq; rerum potestatem habuisse. Senatores à Romulo lectos Reipub. gerenda participes non fuisse, nec aliquid nisi nomen & habitum honorificum iis superfuisse, refert idem Plutarchus in vita Romuli. Cæsares ejusq; successores qui Majestate quidem prædicti ab eam tamen nominari haut voluerunt. Hinc Tacitus ait: Quicunq; post Cæsarem imperium tenerunt, licet se Imperatores tantum dixerint, attamen Reges extiterunt lib. 4. Anal. Nihil autem sine eo esse potest, quod de rei est Essentia, cum impossibile sit, tollere actus substantiales & tamen salvare actum. Sigismund. Scac. de appellat. quest. 2. 1. 6. & ex eo Dn. Remking. de Reg. sec. & Eccl. lib. 1. Clas 5. cap. 9. num. 44. Alii in habitu animi Majestate consistere autemant. Sed nec horum opinionem probare possumus. Sic enim Multi Reges & Principes quantumvis absolutam habeant potestatem, majestatem tamen vindicare sibi haud possent, quod paulo abjectioris sint ingenii, nec de optimo luto ipsis præcordia fixerit Titian. Nos Majestatem Personalem in summorum juriū potestate civitates positam esse existimamus, de quibus jam ultro despiciendum.

THES. III.

JURA Majestatis^(a) sunt potestates^(b) quibus imperator cum Statibus Imperij^(c) absolutè Rempub. nostram inoderatur,^(d) & ad eam rem fiscum instituit.

(A) Varii nominibus Jura Majestatis apud Authores expressa invenimus. Tacitus ea vocat Sacra regni. Livius Jura Imperij. Baldus Sacra sacrorum, quod olim nullus, præter Imperatorem, in ea admittebatur. Covarr. practic. qq. cap: 4.. mi. confer Clap:

fer Clapmar. de Arcanis Rerum publ. lib. 1. cap. 10. Rosenthalio, Sixtino Bocero aliisq; recentioribus Dd. Regalia dicuntur, de cuius vocis notatione ut & significatu vide Nobilis. Dn. ab Einfedelen in tr. de Regalibus c. 1. n. 12 & seqq. Nostris Keystetliche sondere hoheitern und reservaten vocantur, Reces. Imperii de anno 1576. s. dadurch denn. Etsi denominatio hæc denominato suo minus sit adæquata, quandoquidem constat. Non tantum Imperatorem sed & status eo die de Juribus Majestatis participare, ut mox ostendetur.

(B) Definitio omnis genere constare debet & Differentia generis loco posuimus potestates. Nam Majestas est totum potestativum, & ex varijs partibus aggregatum ut ait Doctor noster Wendelerus lib. 2. præf. Philos. scđt. 2. cap. 1. §. 4. p. m. 66. Partes autem potissimum *óμογενεῖς* ejusdem sunt naturæ cum toto. sic quælibet sanguinis, carnis, aquæ &c: portio sanguinis, caro, aqua est. Majestas igitur cum sit totum *óμογενεῖς*, & generis loco Potestatem sibi vendicet; Jura etiam Majestatis quæ illius sunt partes & facultates, potestates erunt. Confer. Tob. Paurmeist. de Jurisdic. Imp. Rom. lib. 1. cap. 4. & Arnis. de Jurib. Majest. lib. 2. cap. 1. n. 3.

(C) Differentia jurium Majestatis partim à subjecto de sumitur, partim ab effectu. Subjectum idem est atq; Majestatis, cum enim fieri nequeat ut jura majestatis à Majestate separantur Carpzov. de Capitul. cap: 13. scđt: 2. n. 18. Paurmeist. t. 1. cap: 2. num. 1. sequitur, ut ubincunq; Majestas sit, sint & ibi ejus jura. Hinc cum in Imperio nostro Proceres in consortium Majestatis sunt recepti Carpzov. de Leg. Reg. d. c. scđt: 6. Non soli Imperatori, sed & statibus jura Majestatis competere ac verè inesse evidens est. Diffinit Dn. Theodorus Reinking; qui & Majestatem & ejusdem jura solius Imperatoris propria esse adserit libr. 1. de Reg. secul. & Eccl. claf. 2. cap. 2. num. 231. idq; sic ostendere annuitur: si, inquit, Imperii status cum Imperatore de Juribus Majestatis participarent, id vel haberent exconcessione Imperatoris vel Præscriptione. Non illud; quia Majestatis jura non sunt abdicia bila à summo Principe sine ejus destructione. Jason & Dd. ad I. Imperium de Jurisdic. &c. Neq; hoc: quia Majestatis jura sine

in praescriptibilia, quod extra commercium sunt posita, & qua-
si sacra sacrorum appellantur; Molin. ad consvet. Parisen. tit 1§.
3. gl. 4.n. 16. Roland. à Valla consil. t. n 169. Natt. consil 626.n.169. Et
sed respondemus (I) inter concessionem Regalium & praescriptio-
nem Tertium dari, propriam nimicrum Reservationem, siqui-
dem constat, stirpe Carolinæ defuncta & successionis jure cum
Electione permutato, non omnem potestatem Proceres imperii
in Principem contulisse, sed eam attemperasse, & non nihil juris
per capitulationem Cæsaream sibi reservasse. Quod progressu
temporis confirmata Electione, auxerunt, ut parent ferè cum
Imperatore potestatem eo die habere videantur Paurmeist. de
Juris lib. 2. cap. 2. num. 20. Carpzov. de Leg. Reg. cap. 1. sect. 8. (II) Ne-
gari nequit, multis Imperi Principes ex Cæsarum concessione
Regalia obtinere. Unde enim Saxon. & Brandenburgensi jus de
non appellando nisi ex Imperatoris concessione A. B. iii. i. &
confirmatione Carpzov. de Leg. Reg. cap 9 sect. 8. Quis Austriacis
Principibus nobilitandi potestatem fecit? nisi Cæsar vide Li-
mnorum de Jur. publ. lib. 5. cap. 2. Et quis terum adeo ignarus est,
quem fugiat plerosq; status jura territorialia primis Imperato-
ribus ferre accepta? Cur ergo Regalia concedi posse negamus?
An quia Jura Majestatis à summo Principe sunt inabdicabilia.
At desuit esse summus qui in consortium Majestatis alios ad-
mittit. Cessante igitur ratione, cessabit etiam concessionis ne-
garior. An quia ad subditos non sunt transmissibilia? At subdi-
tus non est amplius, qui de juribus Majestatis participat. Re-
duuplicativè ergo hæc sunt interpretanda, hoc sensu: Jura Majes-
tatis à summo Principe sunt inabdicabilia, quatenus nimicrum
summus est, non sunt transmissibilia ad subditos, quatenus
sunt subditi, sed quid hæc ad Rhombum? (III) Falsum est Jura
Majestatis præscribi non posse. Præscribuntur enim tempore
iumentari Heigiua part. 1. quest. illustr. 13. n. 30. Ves. consil. 60 n. 1.
Arnis. de jurib. Majest. libr. 2. cap. 2. num. 5. Schneidew. ad Instit. d.
Usur. & Long. temp. prescript. m. 33. Stante igitur &c evicto status
Imperii, participare de juribus Majestatis ultrò sequitur statum
moderaum Imperii nostri Romano Germanici purè Monar-
chicum non amplius esse, sed Aristocratica temperatum. Contra
quam

quam adassertionem nihil facit (I) Lex Regia, quâ Populus in Principem omnem suam potestatem contulisse dicitur I.1. ff. de Princip. confit. §. sed & 6. Inſt. de J. N. G. & C. Nec officit (II) clausula in Recessibus Imperii usitata, absolutam Cælari potestatem tribuens: Aus Römis̄her Kaiserlicher macht und volkomenheit. Non obstat (III) Imperium nostrum quartam esse Monarchiam à Daniele præfiguratam. Nam ad (1) & Lex illa Regia per aliam Legem Regiam quam nos Capitulationem Cæsaream vocamus, jam olim fuit immutata. Ad (2) &. Non extulerum splendore sed ex regiminiis qualitate de statu rarione est judicandum. Nec enim virtus in nomine posita est, sed in plenitudine potestatis, absolutam vero non esse Imperatoris potestatem patet ex receptissimâ illa clausulâ: Als haben wir uns mitt den Ständen/ und Sie hinwiederumb sich mitt uns verglichen, Ad (3) Respondemus, Monarchiam sumi vel in sensu Politico vel in sensu Biblico, si sumas in sensu Biblico, fatemur rempublicam nostram recte dici ultimam Monarchiam, negamus autem Monarchiam esse statum Imperii nostri sumta Monarchiâ in sensu Politico.

(D) Fuit subjectum iurium Majestatis, sequitur eorumdem finis seu effectus, secundem quem ab aliis Cæsaris stutumq; potestatibus distinguuntur... Finis hic duplex est: unus respicit absolutam Republica nostrâ gubernationem; alter Fisci seu æxarii publici querit utilitatem. ille Regalium Majorum proprius est; Hic sequitur minora, uterq; ex naturâ Regalium tam Majorum, quam Minorum assimilandus. Quare et rūndem properamus declarationem proponentes.

THE. IV.

Dividuntur ^(a) Regalia seu iura Majestatis in
Majora ^(b) & minora ^(c)

(a) Rejecit hanc divisionem Cellarius lib. 2. polit. cap. 7. §. 28. ob inconvenientem quorundam Doctorum declaracionem. Quia enim sunt, qui Jura Majestatis majora à minoribus in hoc differre arbitrantur, quod illa à Majestate sint inseparabilia,

bilia, nec in alios se patientur transferri, Hæc facilius concedantur sine Majestatis destructione. Verum ut tale discrimen minimè agnoscamus; ita non illicè ipsam divisionem rejiciendam esse censemus. Potest namq; salvare hæc divisione, licet pereat ejus incommoda expositio. Neq; enim de bonitate alicujus divisionis judicandum est, secundum hujus illiusve Autoris declarationem, sed secundum rei veritatem. Dicamus ergo Maja-
ra Majestatis jura esse quæ circa Res nobiliores ad augendam.
Principis augustam eminentiam: minora vero quæ circa res &
Jura alia ad utilitatem Fisci promovendam sint occupata, & nil
aburdi sequetur.

(b) Jura Majestatis majora sunt quæ ut dictum est sum-
mam Principum potestates, dignitatem ac præminentiam spe-
ciant, absque commode pecuniariorum. Dividuntur ea
in secularia & Ecclesiastica. Secularia concernunt res Ci-
viles sive Politicas & exerceptur vel Circa Honorum & dignita-
tum collationem, ut est, Jus seu potestas Reges, Duces, Prin-
cipes, Comites, Barones, Equites, Doctores, Licentiatos,
Magistros, Tabelliones &c. creandi. *re circa Hispania Ad*
migrationem ut sunt (1) Potes tas ferendi leges Universales,
quæ olim in Imperio successivo ex Leg. Reg. solius Principis fuit
arg. l. i. §. i. D. d. constit. Princip. §. 6. Inß de J. N. G. & C. At de
moribus nostris ista potestas in duos semisses est divisa, quorum
unus penes Imperatorem, alter penes status residet *Paurmeiste-*
rus de Jurisd. Rom. lib. 2. cap. 2. Hinc Leges Imperii Universales
Recessus Imperii vocantur, quod de iis inter Imperatorem & Im-
perium h.e. status convenierit. (2) Est jus à sententiâ latâ non ap-
pellandi, quod in extremâ provocacione positum est (3) Est jus
creandi Magistratus (4) Est ius constituendi judicia Universalia
Prætoria, qualia tria in Imperio nostro reperiuntur. 1. Judicium
Aulicum. 2. Judicium Cameræ Spirensis. 3. Judicium Rotvilen-
se. 4. Est Jus cognoscendi de Feudis Majoribus 5. Est Jus in ban-
num declarandi. Vel circa Reipublicæ Gubernationem, & oc-
currit (1) Potes tas comitia Universalia (Reichstage) indicendi &
r. suffundi (2) est Jus belli & pacis (3) Est ius collectandi (Reichste-
ner anfjulegen (4) Est ius viae publæ & fluminum publicorum
(5) Tandem est jus foederum cuius vigore Imperator de con-
sensu

sensu Procerum cum externis Principibus fœdus inire potest. vel
versantur circa Privilegiorum & immunitatum concessionem,
ut sunt i. potestas concedendi civitatem 2. potestas concedendi
nuadinas generales, quales sunt. Francofurtenses, Lipsienses,
Nauenburgenses &c. Huic Juri (3) proximum est Stapularium.
(die freye niederlage oder Stäpfel Gerechtigkeit) quo jure gau-
dient civitates sequentes. Brema, Hamburgum, Ratisbona, In-
golstadium, Passavia, Colonia Agrippina, Magdeburgum,
Spira & alia (4) Est jus seu potestas concedendi vestigalia nova
& augendi vetera (5) Est potestas erigendi & constituendi Aca-
demias (6) Est potestas legitimandi liberos naturales, cuius effe-
ctus est, ut legitimati ad omnes gradus successionis & honores
restituantur, ac si ex legitimo thoro nati essent. Legitimatio
enim suitatis & Agnitionis jus afferit. Novell: 74. Hisce juri-
bus annumerari etiam potest potestas cūdendi monetam. I.
penult. Et ult. C. de fals. monet. Et I. C. de vet. numismat. Hæc in im-
perio Romano ante tempora Cæsarum Germanorum soli Im-
peratori competiit, ut nulla moneta nisi autoritate & effigie
Cæsaris cuderetur. posterioribus autem temporibus cum jura
superioritatis & Regalia Inferioribus concedi cœpissent, factum
est, ut jus cūdendi monetam Principibus & statibus communi-
caretur, hinc Clapmarius de Arcanis Imperij lib. 1. cap: 16. inquit:
In tot fere partes in Germaniâ jus cūdendi monetam distractum
esse, quot sint principatus, comitatus & civitates. Quinto vel
exercent Regalia Majora circa Dispensationem leu Relaxatio-
nem, ut est (1) potestas veniam ætatis concedendi h.e. ex Mino-
renni Majorenem efficiendi. (2) Jus famæ & honoribus resti-
tuendi. (3) Potestas à juramento ad effectum agendi aliquem ab-
solvendi. (4) Est potestas concedendi repressalia, quæ alijs dif-
fidationes seu pignorationes (rechtsliche hemmungen) dicuntur,
conceduntur autem ob denegatam justitiam, ut illatæ ab exte-
ris injuriae vindicentur alterius bona gravando, videatur Gail de
Arcis Imperij cap. 9. num. 11. Ultimo est potestas inducias mo-
ratorias concedendi. (Anstandt Briefe oder quinquenelle zur-
theilen) hæc inducias ob causam gravem & æquisicam sunt con-

C

ceden-

cedendæ, cū Mercator aliquis non proprio suo facto sed infortu-
nio ita labitur facultatibus suis, ut non possit fidem Mercatoris
servare. Effectus harū induciarum est, ut ultra indultū tempus
Debitores à Creditori bus suis molestari nequeant, nec ullaſ ūſu-
ras solvere cogantur. *L. quoties C de Precibus Imperatori offerendis*, ni-
ſi juratō huic effugio sit renunciatū. Ea n. renunciationis vis est,
ut jura sua remittentibus nō detur regressus. *L. queritur ff. de Edi-
tio Edicto*. Dicitū fuit hactenus de Regalibus secularibus, sequun-
tur Ecclesiastica. Sunt autem Regalia Ecclesiastica jura Majestatis,
res sacras earumq; cultum externum concernentia, & nume-
rantur quinq; (1) Est jus seu potestas concilia vel synodos Oecu-
menicas universales indicendi. (2) Jus primariarum precum, seu
jus præsentandi personam ad beneficia Ecclesiastica primò va-
catoria. Huic juri. (3) Affine est jus præsentandi ratione patrona-
tus, consistit autem hoc jus potissimum in præsentatione & no-
minatione ministri Ecclesiæ, ad hoc ut instituarur ad beneficiū
Ecclesiasticum, item in defensione Ecclesiæ aduersus injuri-
as & in commodities. De jure patronatus videatur Dn. Reinking
de Regin. secul. & Eccles. lib. 3. class. 1. cap. 19. (4) Est jus Episco-
pos, ArchiEpiscopos constitundi, investiendi, iisdem Regalia
conferendi. Denuo est jus seu potestas ferias generales ordinan-
di. *Allgemeine Bns und Feyertage auszuschreiben/ und anzut-
ordnen wie dieselben sollen begangen werden.* Sed hoc jus
per pacificationem Religionis ad status Imperii transit, ut in
territoriis suis ferias instituere posse.

(c) Jam de Regalibus Minoribus dicendum venit: sunt
autem Minora Regalia, quæ commodum fisco Imperii infe-
ruunt. Est autem Fiscus. Aerarium omnia complectens, quæ ad
pecuniarium Imperii commodum pertinent, certisq; privilegiis
præ aliis munitum ad usum & sustentationem Majestatis. Fiscus
à fiscis h. e. sportis, quibus apud Populam Romanum olim pecu-
nia publica alportari concludiq; solebat annotante Borcholdt
*ad. §. Item Divis 1. Insit. de Excusat: Tutor: Quæcumq; ergo ju-
ra non tam ipsam Majestatis essentiam, quam existentiam ejus
concernunt. Minora dicuntur, quorum propria sedes est in con-
stitu: Friderici quæ habetur z. F. Quæ sint Regalia. Talia sunt.* *L.*
Vet*ti-*

Vestigia quod provehendis & evehendis mercibus in itinere,
solvi confluunt, cui & pedagium annumeratur. 2. Portus & Ri-
patica. 3. Multarum, pœnarumq; compendia. 4. Bona vacantia
& quæ indignis auferuntur. 5. Bona incestas nuptias contrahen-
tium. 6. Bona damnatorum & proscriptorum, qua omnia fisco
imperii Principumvè cedent. 7. Angariae & larangariae. 8. Ar-
gentariae. 9. Salinae. 10. Thesaurus & alia ejusdem generis quæ
fusius persequi neq; instituti nostri est, nec pagellarum permit-
tit angustia. Videat iuterim, qui velit, de Regalibus prolixè
diferentem Nobilissimum Dn. Conrad ab Ensiætn in de Rega-
libus. Borcholdt. Rosenth. & Zasium part. 5. de Feud. Excellentiss.
Dn. Præsidem Exercit: 5: Feudal. Sixtinum, Bocerum & Arnisaum,
qui integra solidamina de Regalibus in publicum inferunt.

QUÆSTIO. I.

An status Imperij in consortium Majesta- tis sunt recepti?

Sprengerus cap:2. *Synops. Jur. Publ* 'p: 34. Negativam
amplectitur. Rationes, quibus innititur, adferunt duas (1) Quod
Majestas Imperatoris propria sit, propria autem non possint
communicari. (2) Quod status Imperii ab Imperatore depen-
deant, evincente hoc ipsum omnium investitura petitione.
Majestas vero omnis dependentia sit nescia, cum in summa pote-
state consistat. Verum non solum Imperatorem, sed & status
imperii Majestatis participes esse demonstratum est *supra Thes. 3.*
sub lit. C. Miramur autem inconstantiam Sprengeri, quippe qui,
quod unâ manu largitus, alterâ retractare non erubuit, for-
tassis sui oblitus. Nam cap. 1.p.18. dixerat, Formam Imperij
nostrâ esse Monarchiam, sed Aristocratiâ temperatam, c.v. alte-
rò negat Proceres imperij de Majestate, participare. Ni-
misum ponit formatum absq; formâ, causatum sine causâ. Ar-
gumentor: Ubiq; Majestas in solidum penes unum residet,
ibi status Reipublicæ purè Monarchicus est. Atqui in Imperio
nostrâ Romano Germanico Majestas in solidum penes unum,

hoc est, Imperatorem residet E. status imperii Romano-Germanici est purè Monarchius. E. purè Monarchicum potest esse Aristocratis temperatum. Purum Impurum huc mixtum potest esse quodimplacit opificium in opposito. Majorem qui negat, nescit quid sit Monarchia: Minor confirmatur ex Sprengerio. Huic enim Majestas solius Imperatoris propria est p.34. Et Statibus communicari nequit. Ibidem sed nolumus operiosius hæc diducere: Ad argumenta properabimus. At i. Rx Non magis Majestatem esse Imperatoris propriam, atque eius iura. Hæc autem communicata sunt statibus fatente Sprengero nostro pag. 34. E. & ipsa Majestas. In statu quidem Monarchico Majestas Iolius fuit Imperatoris. At mutata Reipub. formâ, Proceres in consortium Majestatis sunt recepti. Deinde falsum est; propriâ non posse communicari, ut monstrant Philosophi: Ad ii. Rx si dependens est potestas statuum, necesse est ut statuamus Principes imperii tantum Magistratus partes sustinere in suis Provinciis. Ut enim summa ac independens potestas Majestatica est; & formalis; ita potestas dependens Magistralis est. ut erudit ostendit Lampad. n. tr. de Republ. Romano Germanicâ part.2. cap: 3.n.6.7.8. & seqq. At consequens est falsum E. & Antecedens. Tenendum itaq;, status' imperii, si quam potestam ex Cæsarum concessione habeant, illam dependentem non esse, sed sinedependentem. Imperator n. concedendo potestatem aliquam non diversam sed eandem, quamipse habet, elargitur. Ut igitur illa potestas independens est in Imperatore; ita etiam in Statibus, cum idem numero simul dependens & independens esse non possit.

QUESTIO. II.

An dignitas seu gradus Doctoralis conferat Nobilitatem?

Nobilissimus Dn. ab Einsiedel in tractatu' quem de Regalibus conscripsit cap: 2. n. 140. Negantium sicut partes ac patrocinium. Cujus præcipuas rationes hoc attulisse ac ventilasse juvabit. Primum sic argumentatur: diversum est nobilis atq;

atq; Doctoris nomen, igitur & diversa erit Nobilis ac Doctoris dignitas, consequentiam ostendit; quia nominis differentia rerum quoq; ac nominatorum diversitatem infert. l. 7. C. de Codicill. deinde sic colligit: Potestas nobilitandi est solius Imperatoris, nec ulli competit nisi ex speciali hujus concessione c. super quibusdam & præterea extrav. de verb. signif. Academæ igitur cum ius nobilitandi non habeant, creando Dd. nobilitatem haud conferunt. Tertiò. Omnis Nobilitas transmittitur ad descendentes, sed dignitas Doctoralis ad descendentes non transmittitur E. Quartò. Si dignitas Doctoralis adferret nobilitatem, sequeretur quod Nobilis Doctoris gradum ambire non posset: Quod enim quis ante habet, illud amplius ipsi tribui nequic. Et qui jam nobilis est denuo nobilis fieri haud potest. arg. 1. 39. §. 2. & l. 109. ff. de Legat. I. At consequens velimille rerum exempla refellunt. Ergo &c. Quintò Consuetudinem, quæ optima Legum interpres est c. cum dilectus exir. de conscript. adducit, eamq; satis confirmare afferit. Doctores nobiles non esse. Hinc Nobiles ipsos & liberos eorum non inscribi: Hinc Nobiles non ducere, neq; nobilibus nubere: Hinc ad Hastiludia non admitti scribit. Nos cum Dn. Lymæzo, Daniel. Otton. Menoch. alijs Dd. in contrarium destinamus mentem, & Doctores vere Nobiles esse affirmamus. I. Quod Nobilissimi passim in jure nostro audiant. l. 2. §. fin. ff. de exu. / Tut. l. diximus 4. §. 1. ff. eod. l. providendum 7. in prim. C. de postuland. l. 14. C. de Advoc. diversi judic. (2.) Quod ijsdem ferè cum Nobilibus privilegijs fruantur. Spreng. in Synops. Jur. publ. c. 3. ab init. p. m. 51. Quandoq; (3) insignia cum apertis galeis, Wapen mit offenen Schilde und Helmijjs competant. Liebenthal disp. 10. Colleg. Politic. th. 25. & seqq. Non movent nos rationes oppositæ. Nam ad (1.) R. A nominis notatione infirma duci argumenta, quæ opinionem magis quam fidem dignunt. Deinde confunditur nomen Nobilitatis generaliter & specialiter acceptum, uti jam constabit. Ad 2. R. I. per Instantiam: Etiam potestas creandi Doctores solius Imperatoris est, & principum Reservatis annumeratur, fatente ipso met Dn. Conrado ab Einsiedel eod. cap. 2. 190. Hæc tamen Academiis

demis est concessa. 2. Solus Imperator nobilitat independenter, Academæ verò dependenter ac per Cæsaris concessionem. Creant Nobiles non indifferenter quosvis, sed tales, quorum nobilitas in proprium transit nomen, puta Doctoris, Licentiati &c machen zwar Edel/ aber keine Edelleute. Ad 3. Rz. Majorem esse particularem, intelligendamque de Nobilitate generis non virtutis, quippe cuius duas dantur species, una hæreditaria est, & ad posteros transmissibilis, altera personalis, quæ non propagatur, sed fulgidum scientia splendorem requirit. Ad 4. Rz Nobilitatem & Generis & speciei nomen esse æquè ut Adoptio-
nis l. i. §. i. g. de Adopt. & cognationis l. io. §. 4. ff. de gradit, Gene-
ris vicem tunc suffineret, quando nobiles dicimus omnes illos,
qui legitimè sive lege, sive benigna Principis voluntate plebeia
conditione sunt exempti, sive Titulares sit, ut: Imperator, Rex,
Dux, Princeps, Comes, Baro, Eques, Doctor &c. sive non Titula-
res, qui in simplici nobilitatis nomine persistunt, quo sensu nos-
potissimum einen Edelman dicimus illum, qui præter nobili-
tatis non aliud speciale sortitur nomen, puta Doctoris, Baronis,
Principis &c. speciem verò notat, quando ad certum nobilitatis
gradum restringitur. Germani paulò feliores sunt in diversâ
hujus vocis acceptione declarandâ. Hi namque distinguerentur
solent, inter Nobilem esse, & Virum Nobilem (liceat ita fari)
esse, unter Edel sein/ und ein Edelman sein / also ist zwar ein
Kâyser/ König/ Fürst/ Graff/ Doctor &c. Edel/ aber doch
kein Edelman/ und ein Edelman ist zwar Edel aber darumb
nicht alsbald ein Kâyser/ Doctor &c. Sunt enim Distinctæ
Nobilitatis species & gradus, qui non temere confundendi. Sic
Doctor nobilis est, si genus nobilitatis species, & in suâ specie
proprium nobilitatis nomen, er ist zwar Edel/weil er ein Do-
ctor ist/ aber darumb kein Edelman. Unde patet, non frustra
Nobiles Viros Doctores ambire honores, cum non eam, quam-
jam habent, petant dignitatem, sed aliam & specie ab ipsâ di-
stinctam. Eodem plane modo, quo cæteri nobiles non Titu-
lares Equitis, Baronis, Comitis &c. insignia si adfendant, non
fru-

frustra anhelant, nec eum, quo jam prædicti sunt, sed majorem
Nobilitatis gradum querunt. Ad quintum argumentum è
dictis facile est respondere. Nimirum ad Hastiludia Doctores
non admittuntur, non ob nobilitatis carentiam, sed dignitatis
equestris negationem. Nicht darumb/weil sie nicht Edel
seyn/sondern weil sie keine Edelleute noch Ritter seyn.

Ad

Præstantissimum & Politissimum

DN. RESPONDENTEM,
Disputationis hujus Auctorem, & Agna-
tum suum per dilectum, atq;
honorandum.

Ressacra imperium est. Densis Mysteria velis
Sceptrorum conclusa latent. Sacrata profanos
Majestas arcet, nec sic se celat Eleusis,
Quam sua custodit prudens sacraria Princeps.
Tu macte ingenio Braschi, dum iuria Regentum
Egregiemonstras, Majestatemq; tueris,
Ore diserto, animo intrepido. Communia vulgus
Impar angustiq; capax novisse laboret.

Splendi-



371
*Splendida magnifico cultu pallatia Regum
Visere te juvat, atq; arcanas discere curas
Magnatum. Nervos felix intendere perge,
Ingenij. Justæ sunt hac præludia sc̄ne.*

M. Georgius Tammius
S.S. Theol. Stud.




ULB Halle
005 826 829

3



VD17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



D. B. V. 1655
DISSE^RTAT^O JURIDICO - POLITICA.
DE.

MAJESTATE EJUSQUE JURIBUS

Quam

Autoritate & Permissu Magnifici JCtorum Ordinis
in illustri Leucorea

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. GOTTFRIDI SVEVI.

J.U.D. & Codicis P.P. celeberrimi, Curiæ Electoralis,
Facultatis Juridicæ, ut & Scabinatus Assessoris gravissimi,
Præceptoris ac Patroni sui omni honoris & observan-
tiæ debitæ cultu ætatem deve-
nerandi.

Publicè proponit

GEORGIUS KRASCHÉ.

Lutkenbergò - Holsatus.

In Auditorio JCtorum.

Ad diem Maij. Ao. M. DC. L.V.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typograph.

Mouf. Wiesene